



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Rhemense, In Qvo Theobaldvs Episcopvs, Ambianensis ecclesiae vsurpator, excommunicatus est, praesidente Stephano diacono Benedicti VII. papae legato, celebratum anno Christi DCCCCLXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

BENEDICTVS C.RHEMENSE. OTTO II. IMPERATOR.  
P. VII. LOTHARIUS R. FRANC. 193

ANNO  
CHRISTI 1  
975.

## CONCILIVM RHEMENSE,

IN QVO THEOBALDV S EPISCOPVS,  
Ambianensis ecclesiæ usurpator, excommunicatus est,  
præsidente Stephano diacono Benedicti VII. papæ le-  
gato, celebratum anno Christi DCCCCLXXV.

*Epistola Adalberonis Rhemensum archiepiscopi, & Stephani  
Romani diaconi, ad Theobaldum episcopum  
Ambianensem.*

IN VETERATE dierum malorum, vide quid lucri tua tibi  
contulit absentia, nostra ut abutaris patientia, contem-  
ptor legum diuinorum atque humanarum: sedem aposto-  
licam appellasti, nec adisti. Literas pecunia & mendacio  
tuo Romæ editas a te accepimus xiv. Kalendas Augusti,  
plusculum in te quam pro te continentis. Cui Synodo nec  
interfuiſſes, niſi interpoſita conditione reſeruandi honoris:  
quod abeſſe fuit, non adeſſe. Cur latitas? Cur sancta Syno-  
dum fugis? Ei qua acta eſt v. Nonas Iulias exhibere te no-  
luisti; & præſenti, qua denuntiata eſt agi viii. Kalendas  
Octobris, intereſſe recuſas. Conuenerunt pro te reueren-  
di medici, qui morbos tuos optime nouerint, tyrannicam  
ſcilicet vim qua infulatus es contra regium velle, ac illum  
tuum pseudoarchiepiscopum cum episcopis excommuni-  
catis, qui ſuarum manuum imposiſione velut quodam con-  
tagio te infecerunt. Et quoniam iudicio domni Benedicti  
VII. papæ in Synodo, qua Bonifacius damnatus eſt, incur-  
abilis repertus eſt, nec eius filius Stephanus sanctæ Romanæ  
ecclesiæ diaconus mederi tibi præualet, velut morbidum  
& morbosum hircum ſeparamus te a grege dominico, &  
ex auſtoritate Omnipotentis, & sanctæ Mariae, sanctique  
Petri principis apostolorum, damnamus te, & excommu-  
nicamus, ſacrisque liminibus ecclesiæ arcemus, uſque ad  
veram tui recognitionem & dignam ſatisfactionem.

### S V B S C R I P T I O N E S.

Ego Stephanus sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus ad vicem  
domni Benedicti papæ VII. huic statuto præfui & præſcripsi.

*Concil. Tom. 25.*

B b

194 BENEDICTVS CONCILIVM OTTO II. IMPERATOR.  
P. VII. EDGARVS R. ANGLIAE.

Ego Adalbero sanctæ Rhemensis ecclesiæ archiepiscopus interfui & firmaui cum reliquis. ANNO CHRISTI 975.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

*Concilium Rhemens. ] Sententiæ huius exemplum ex veteri libro descriptum Andreæ Quercetani diligentia debemus. Annum autem ex coniectura illum adscripsimus, quo constabat damnatum a Benedicto VII. pulsusque ab apostolica sede quam inuaserat Franconem, qui Bonifacius dicebatur. Theobaldum porro ante annos fere triginta episcopum Ambianis ordinarat Hugo pseudoarchiepiscopus Rhemensis. Quam ob causam excommunicatus iam fuerat in Synodo Treuirense, cui Marinus legatus præfuit anno 949. & nunc iterum eadem sententia percellitur.*

CONCILIVM VVINTONIENSE

SVB SANCTO DVNSTANO CANTVARIÆ  
archiepiscopo in interstitio regnorum Edgari & Ed-  
vvardi martyris regum celebratum.

*In quo dum acerrime contenditur de clericis uxoratis monachisve præferendis, imago dominica pro monachis dicitur elocuta, & controversiam protinus diremisse, præsentibus Edgardo rege cum sua coniuge, sancto Dunstano archiepiscopo Cantuariæ, cum ceteris episcopis, abbatibus, &c. Elfero principe Merciorum, Ethelwino duce orientalium Anglorum, Elfrwoldo suo germano, Brithnotho comite, cum nobilitate totius regni.*

**D**e hoc Concilio hæc Binus e Baronio: Dum Angliæ clerici non satis probatae vitæ opera principum & optimatum abbates eorumque monachos optime vjuentes e monasteriis ab Ethelvaldo Vvintoniensi episcopo aliisque regibus & viris pie fundatis eiecissent, eorumque bona inuasissent, delatum est negotium ad Dunstanum Cantuariensem episcopum, qui Synodum apud Vvintoniam congregauit, in qua circa medium vtriusque partis disputantis conflictum, inquit Matthæus Vvestmonasteriensis, imago dominica, quæ altercantibus astabat in ecclesia, expresse locuta ita allegatur: Non fiet, non fiet: iudicasti bene, male mutaretis. Quare (inquit idem Matthæus) clerici omnesque eorum fautores elingues redditu nullam deinceps monachis controversiam mouerunt.